



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 6. De institutione SS. Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

cupientes honorem & reuerentiam nobis potius exhiberi.

7. *Noluit Christus Petro lotionis causam, nisi absoluto opere, iudicare. Sic non decet curiosè rerum, quas Deus in hoc mundo permittit, scrutari causas; potius perferre omnia ad extremum enim omnia cum fructu & voluptate quorsum pertinuerint intelligemus.*

8. *Qui agrè ferunt aut certè infructuosas apud se esse patientur aliorum reprehensiones, aut Superiorum, patrumq; spiritualium monitiones; item qui contemnant aut repugnant diuinis inspirationibus: ij sunt, qui à Christo lauari, & quod sequitur, partem habere cū illo recusant.*

MEDITATIO

SEXTA.

DE INSTITVTIONE SS.

Sacramenti.

EVANGELIUM.

Matt. 26

Marc. 14.

Luc. 22.



CENANTIBVS
illis, accepit IESVS
panem, & gratias a-
gens benedixit, ac fre-
git, deditque Disci-
pulis

DE PASSIONE DOM. 53

pulis suis, & ait: Accipite, & comedite Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, postquam cœnauit, accepto calice gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autē vobis, quia non bibam amodo de hoc gemmine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum vobiscum in regno Patris mei.

FIGVRAE.

MELCHISEDECH Sacer- *Gen. 14.*
dos Dei altissimi obtulit panem *Exod. 12.*
& vinum.

præcepit Dominus populo Israël, vt ad suum Pascha, sumerent agnum sine macula, & assum igni comederent, cum pane azymo, & lactucus agrestibus.

Pluit Deus manna de celo, ad cibū *Exod. 13.*
populi sui in deserto.

PRO-

- Psal. 77.** PANEM Cali dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.
- Psal. 22.** Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.
- Psal. 110.** Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.
- Isaia. 25.** Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemia.
- Zach. 9.** Quid enim bonum est eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?
- Prou. 9.** Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod misui vobis.

CONSIDERATIONES.

1. Punctū.

AMICI qui se tenerè inter se amant, si quando alter ab altero discessuri sunt, consueuerunt vnum diem inter se leti agere. Sic Saluator noster, cum è mūdo esset abiturus, desiderabat, vt ipse dixit, hoc vltimum Pascha manducare cū suis discipulis, vt cum ijs letior esset: ac deinde pignus sui amoris & æternum sui ipsius memoria relinqueret.

Considera Christum iam morti vicinum, quanto cum amore, quasi aliquis

DE PASSIONE DOM. 55

quis Paterfamilias moriturus, conficiat testamentū, & præciosam hæreditatem corporis & sanguinis sui dilectis filijs diuidat. Vide, vt & æquales omnibus partes, & singulis totum largiatur. Cum enim dat illis suū corpus, simul dat omnes diuinos thesauros in eo latentes. Atque interim, dum bonus pastor inaudita caritate gregem pascit: non iam cibo mannae veteris, neque aqua de petra, quod Moyses fecit; sed vero pane viuifici sui corporis, & vero potu sanguinis: ipse vicissim pascit animas illorum, quas per hoc Sacramentum in se transmutat, secumque vnit, vt sint vnum cor, & anima vna cum ipso.

Vide quo amore arserit potentissimus ille Rex gloriae, Dominus Maiestatis, in nos vilissima sua opera! Ille nobis, pulueri & cineri, cum condidisset & donasset donum omnium rerū creatarum, ipsos ideo Angelos in nobis custodiendis occupasset: nihilque posset iam paternum ipsius & amantissimum cor aliud imaginari melius atque sublimius, quo demonstraret immensam & beneficentiā, & fragrantissimum suum amorem, denique inuenit vt seipsum daret. Verè grande & liberale donū est, Domine, seipsum dare: sed ita dare,

vt

vt tu dedisti, id omnem liberalitatis modum excedit. Non fuit tibi satis, dedisse te nobis vt Regem & Dominum, quod tanti faciebat Propheta, cum diceret.

Psal. 143.

Beatus populus, cuius Dominus Deus eius; Sed dedisti te pro patre, pro fratre, pro sodali, pro sponso, pro aduocato, denique quod nulla hominum intelligentia comprehendere, nullum cor optare potuit: dedisti te pro cibo, dedisti pro hominis precio, vt dares te aliquando etiam pro præmio, vbi satiatus homo æternæ tuæ dulcedinis vbertate, nihil iam amplius possit desiderare.

Quod ad tempus attinet, ex eo similiter collige magnitudinē amoris Christi, in hoc Sacramento instituendo. Dum enim homines inter se agitant, quomodo maximos illi cruciatus parent; ipse totus in eo est, vt ipsis paret hunc dulcissimum & delicatissimum cibum: ab illis absyathium & fel illi, ab illo nobis dulcissimum mel & manna suauissimū apparatur. Quam meritò scriptum est, dulcis IESV, quia fortis vt mors est dilectio! Omnes aquæ torrentes acerbissimæ tuæ passionis, non poterant extinguere, imò neque poris quicquā inferre, flammæ amoris tui. Poterat ergo mortis imago in agonia obseruari, poterat

rat

DE PASSIONE DOM. 57

rat exprimere sanguinem: cor occupare
 nō potuit, quo minus tu grandi illo &
 pleno amoris dono nos donares.

Verè propheta ille tuus cecinit, te ex
 magna misericordia tua, diuinum hoc
 instituisse mysterium: vt memoriale,
 & quasi compendium omnium mira-
 bilium operum tuorum. In omnibus
 enim rebus creatis elucet separatim,
 alibi tua potestas, alibi sapientia, boni-
 tas alibi: In hoc ostendisti simul poten-
 tiam infinitam, admirabilem sapien-
 tiam, incomprehensam bonitatem. Po-
 tentiam, quod sub specie panis mortali-
 bus omnibus in cibum dare potuisti sa-
 crum tuum corpus integrè, vnà cum
 sanctissima anima, & summa diuini-
 tate. Sapientiam quod reperire potuisti
 tam suauem rationem, tamque aptam
 & congruentem, quo te ipsum homini
 donares, & eum tibi vinculis amoris a-
 stringeres. Bonitatē quod tā singulare be-
 neficium & tantæ caritatis donum in
 nos contulisti O salutaris cibus, per quē
 filij hominū efficiuntur filij Dei! O sa-
 cer & adorande panis, qui reficis homi-
 nū mentes, confirmas corda, & spiritū
 exhilaras! O panis viuus & super substan-
 tialis, verè panis angelorum, quis mihi
 det, vt dignè te sumam & vel semel

D tam

Can. 3.

famelicum cordis mei desiderium extirpationem? Duc me, suavis Domine in cellam vinariam tuam, ordana in me caritatem, deficit enim anima mea, nisi viuifica haec & salutifera potione refocilletur.

Omnes fructus venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Omnes, inquit, fructus iustitiam, salutem, amorem Deo vestri, venite ad dulces has & salutaris aquas: & quæ illæ sunt aquæ, nisi tu ipse bone IESU fons aquæ viuæ, de qua aqua Prophetæ ore prædixisti: *Effusus sum sicut aqua.* Tum enim sicut aqua effusus es, cum exinanivisti te ipsum formam serui accipiens: cum plenitudo diuinitatis tuæ nostri amore liquefacta diffusa est, & se cum hominibus in hoc Sacramento mirabili communicauit. Tu es ille ros cælestis, illa desiderata pluuia quam tantopere optabat Prophetæ cum diceret. *Rorate cali desuper & montes pluant iustum.* Tu pluuia voluntaria, tu manna suauissimum, quod Dominus de cælo pluit super hereditatem suam, super nos, qui fame deficientes, vagi errabamus per huius mundi solitudinem. tu denique aqua illa, quæ

quæ animarum sordes eluit & expur-
 gat, sitim desideriorum nostrorum le-
 uat, & cupiditatum ardores temperat.
 Venite igitur omnes, & vt Propheta hor-
 tatur, hauriamus aquas cum gaudio de
 fontibus Saluatoris, vnde scilicet oritur
 aqua illa viua diuinæ gratiæ, quæ facit,
 vt ascendat anima ad vitam æternam:
 vnde oriuntur flumina omnia virtu-
 tum & donorum cælestium, etsi autem
 non habetis argentum, id est vires per-
 fectas & sufficientes, ad restringendos
 ignes tentationum; venite tamen &
 emite, liberaliter enim sine vlllo pre-
 cio dabitur vobis vinum & lac. Hoc
 est vinum illud & lac, ad quod nos spon-
 sus inuitat. Bibite vinum meum, cum
 lacte meo. Comedite amici & bibite,
 & inebriamini carissimi. Quam suaue
 est, mi I E S V, lac istud! quam magna
 multitudo gaudij & dulcedinis spiritua-
 lis, quam abscondisti sub hoc cælesti
 cibo! quam dulciter & sobriè facit ebbri-
 os vinum caritatis tuæ, quo se inflam-
 mari sentiunt omnes, quotquot piè ad
 altare tuum accedentes, ori admouent
 hunc amoris calicem! vinum quod ve-
 rè ebrietatem afferat, non & lætificat
 cor hominis, & in anima, rerum omni-
 um, quæ mundi sunt, æternam quan-

60 MEDITATIONES

dam obliuionem efficit. O si placeat tibi, Domine mi, meæ quoque animæ gustandam dare vnicam saltem gutturulam, huius vini & lactis cælestis! quàm subito desiperent mihi omnes vanæ consolationes, & amarissime mundi voluptates! quomodo cor hoc dulcedine dilatatum curreret velociter viam mandatorum tuorum vsque dum eò perueniens vbi manifesta est gloria tua, quæ nunc huius Sacramenti velo tegitur, planè sitim desiderij sui exstingueret?

Consurge anima mea, exi de puluere humilis conditionis, & de tui ipsius profunda consideratione: & considera quomodo ope huius arcani Sacramenti, diuinæ suauitatis facta sis particeps, & iam sis sponsa vnigeniti filij Dei. Hic miser homo mensæ assides Angelorum, in eadem patinam in quam Deus, manum immittit: pascitur & vescitur cum ipso met Deo. Hic summa iunguntur infimis terrena cælestibus: creator mundi caritatis vinculo creaturæ se colligat, homo mortalis mutatur in Deum,

COLLOQVIVM.

INFINITVS age Domino gratias pro hoc inestimabili beneficio, quo voluit manere tecum in hoc Sacramento, vt effect

esset tibi cibus, medicina, & animi solamen. Pete quoque gratiam, vt quàm maxima puritate & pietate accedas & fruaris caelesti hoc cibo, vt efficiente eomira illa in te quæ in animis dignè accipientium solet, in dies augaris illius amore, & in virtute huius cibi ambules maiori ardore & perfectione viam diuini seruitij.

DOCUMENTA.

1. **C**HRIſTUS accipiens panem prius gratias egit Deo Patri: ita & nobis antequam venerandum hoc Sacramentum sumamus, precibus animus preparandus est & de tanto beneficio caelesti datori agenda gratia.
2. Vt Christum imitemur, opus est, vt ante initia bonarum actionũ gratijs actis Deum honoremus.
3. Nos ipsos comminuere affectuũ mortificatione debemus, & propria voluntatis abnegatione, nosq; ipsos Christo cibum dare, quemadmodum ille exinanivit se, vt anima nostra fieret cibus.
4. In rebus huius vitæ aduersis, gratia & laudes dicenda sunt Deo. Sicut Christus cum accepisset calicem, quo supplicia ipsius indicabantur, gratias egit, & benedixit.

3. Postquam Christus Apostolis dederat ex suo calice bibere, promissit, fore, ut vinum cum ipso nouum in regno suo bibant. Nos item si in hac vita bibamus rerum aduersarum calicem, qui nos assimilat Christo; in altera diuinorum ipsius gaudiorum participes erimus.

6. Quoniam in hoc Sacramento se Christus Panem Angelorum appellat, laborandum nobis est, si quidem, ut par est, hoc pane vesci optamus, ut Angelorum in nobis puritas & mundities enitescat.

7. Corpus & sanguinem suum reliquit nobis Christus panis & vini specie; ut quemadmodum ex pluribus granis frumenti panis vnus, ex pluribus vuarum granis vinum conficitur: sic Christiani omnes, qui huius mysterij participatione se dignos exhiberent, omnes vno huius Sacramenti vinculo iungerentur, ea caritate, quam in primitiis Christianorum floruisse testantur Apostolorum Acta. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.